EPISTOLA PASTORALIS


AD CLERUM

POPULUMQUE UNIVERSUM

DIOECESIUM

PORTUENSIS, SANCTAE RUFINAE, AC CENTUMCELLARUM





ROMAE
EX TYPOGRAPHIA CONTEDINI
MDCCCXXXIX.

JOANNES FRANCISCUS

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPUS PORTUENSIS, S. RUFINAE, AC CENTUMCELLARUM

S. R. E. CARDINALIS FALZACAPPA

SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURAE JUSTITIAE PRAEFECTUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS, AC DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS ORDINI CANONICORUM, ANIMARUM CURATORIBUS, UTRIQUE CLERO OPTIMATIBUS, AC POPULO UNIVERSO DIOECESIUM SUARUM

Salutem in Domino sempiternam.

Albanensis Ecclesiae procurationi intenti, Deoque omnis boni consilii auctori benedicentes, qui nostros pro ea labores fortunabat, Dei Miseratione, et Sanctissimi Domini Nostri Gregorii Pontificis beneficientia, evocamur ad Portuensem, S. Rufinae, ac Centumcellensem Ecclesias regendas, quae in Viro dignitate non minus, quam virtutum laude sane Eminentissimo Emmanuele de Gregorio Pastorem sibi, ac Parentem amantissimum abreptum ingemiscunt. Dolentes quidem a Grege divellimur, quem ad religionem, ad ho-

nestum, ad decorum comparatum annis plus minus decem experti sumus; grataque recordatione nobiscum reputamus praeclara benevolentiae, officiorumque omnis generis testimonia, quibus Ordines universi suam in nos voluntatem praesetulerunt.

Neque silentio praeterire heic possumus fructum voluptatis, quem ob constitutum superiori anno amplioribus in Aedibus Seminarium capiebamus, in quo adolescentes Clericos in Ecclesiae spem adsidua Praesidum optimorum cura et instantia succrescere in dies felicius laetabamur. Quae quidem mente volventes si eo afficimur sensu, quo ab hominibus charis discessuri angi solemus; est certo, cur summopere Albanis gratulemur, quod Viro Eminentissimo Justiniano concrediti laetiora semper ac meliora sint tanto Antistite consequuturi, quibus emendata conspiciant, quae fortassis minus salutaria, nobis vel invitis, pro nostra tenuitate exciderunt. Verum longe aliter, fatemur ad veritatem, longe aliter actum sibi animadvertent, qui nostrae fidei traduntur, Populi. Obversantur quippe ipsis ante oculos grandia in se promerita amissi Antistitis,

adsiduum bene de omnibus merendi studium, impensae ad Sacrum Seminarium restituendum curae, effusa in divini cultus incrementa, et in egentium subsidium liberalitas; quae omnia cum magnum ejusdem desiderium excitarint, nos certe sperare non sinunt, esse nos illud aliquando lenituros pro voto. Sentimus proinde, vel ex hoc capite difficultates ingravescere suscepti muneris, quod prae ceteris onerosum, plenumque sollicitudinum jamdiu nacti sumus.

Ast Illius freti praesidio, qui hujus est nobis auctor honoris, fidenti animo delatum ministerium aggredimur, meliora, quae possimus, Praecessoris desideratissimi charismata aemulaturi, id unum contendentes, ut ex iis, quos tradidit nobis Deus, neminem a nobis perditum defleamus, repetentique Pastorum Principi e nostris manibus sanguinem ovium, incolumes eas, salutisque pascuis saginatas eidem reddamus cum gaudio. Hac sane mente, hisce votis, hisce consiliis ad vos venimus, Fratres, et Filii, quibus conglutinatam jam animam nostram persentimus: novimus, Gregem commendari nobis, qui cum studio religionis, mansuetudine ingenii, honesti, re-

ctique amore quotidianam eorum instantiam cumulate expleverit, qui in eo regendo laborarunt, exitus secundiores sua praesertim docilitate, diligentia, atque industria nostris quoque conatibus properabit.

Quae ut ad commune votum fauste succedant, vestram primo advocamus fidem, Venerabiles Fratres, qui in Principe Aede Centumcellensi adsidetis Throno Pontificali. Venerari profecto in humilitate nos oportet imperscrutabilia Dei judicia, quibus datum modo Nobis est, praesides isthic esse sacrorum, qui condendo Collegio vestro, atque Episcopali sedi restituendae, qua primis etiam temporibus honestatos vos fuisse tradunt vetusta monumenta, ex nostri officii munere olim pro viribus operam contulimus. Sit et grata haec recordatio stimulus ultro currentibus, ut qui primum honoris locum tenetis, disciplinae quoque laude, studiisque prae ceteris fulgeatis. Habeant non Clerici dumtaxat, sed Populus universus ex ea, quam in divinis caeremoniis officiisque praestatis, observantia, et adsiduitate, unde ad sacra frequentanda, sancteque colenda excitentur. Id et vobis curae

maximae sit, lectissimi e Castronovano Collegio Canonici: aemulos coelestis Sionis vos esse, memineritis ad enarrandas in psalmis et canticis miserationes Dei, vosque in ceterorum exemplum esse adscitos, ut inde religioni, ac recte factis sese libentius, firmiusque devoveant.

Pari in id contentione Animarum Curatores incumbant, quos in Dominico agro excolendo adjutores carissimos recensemus. Maxima quippe nostrae in tanto munere spei ratio in vobis est, quos cultores navos esse scimus, omnibus omnia factos, ut omnes Christo lucrifaciant. Perdifficilis quidem, salebrosa, ac negotii plena vel ob ipsam locorum naturam vestra est procuratio: ast egentibus ut plurimum et agrestibus, indoctisque hominibus in viam salutis deducendis, atque ad pietatem informandis praepositos turpe esset, vel ex laborum diuturnitate, vel ex ovium conditione, vel ex humanis quibusvis rationibus in officio languescere. Percrebuit ubique, et humiliora etiam loca pervasit teterrima morum vastitas, monstraque errorum longe lateque irruperunt: vestrum est, iis obsistere, factosque muros pro Israel in veri rectique semitis Gregem continere, sanam

nimirum doctrinam praedicare, adolescentibus erudiendis de iis, quae fidei sunt, morumque probitatem inferant, foveantque, navare sedulam operam in multa patientia: divinum Pastorem intuemini, qui errantem ovem quaesiturus nulli pepercit labori, nulli incommodo, posuitque pro illa animam suam, ut converteretur, et viveret.

Hoc porro studium boni animarum a vobis quoque efflagitat regalis Sacerdotii dignitas, qua honorati estis, Venerabiles Fratres, quotquot fuistis in sortem Domini recepti. Albae sunt regiones ad messem, ad quam in manipulos colligendam conducti estis, duplici honore donati, duplicis nimirum potestatis, qua vel ipsis Angelorum Choris antecellitis. Rationem idcirco severiorem pro doni magnitudine reddituri, personam considerate, quam geritis, et ex ipsa rerum sanctitate, quae vobis attrectandae committuntur, sanctitatem agnoscite, ad quam vocati estis. Eam vero nonnisi ex sedula divinarum rerum meditatione igne succensos, quem Christus venit mittere in terras, atque a saeculi illecebris abhorrentes, sacris studiis, honestis operibus intentos, nemini dantes ullam offensionem, adepturos vos esse, palam est.

Celeberrimus sane Centumcellarum portus est, in quem undique externi homines invehuntur ex alto: vos igitur nunc singulatim spectat oratio nostra, qui ibidem degitis, Sacrorum Ministri: ad primam Pontificiae ditionis Urbem appulsi conspiciant nedum qui in ea versantur, sed ii cum primis, qui in Christi caula non sunt, nihil in vobis cerni, quod a recta vivendi via, vel a sanctae charitatis officiis, vel ab Ordinis majestate alienum sit, nihil imo non simplex, non castum, non moderatum, non integrum. Hinc torpere otio, vacare lusibus, feriari in apothecis, immiscere se studiis voluptatibusque vulgi, liberioribus hominum congressibus, quorum aut suspecta fama sit, aut cognita flagitia, convenire in spectacula, crimen isthic foret eo perniciosius, quod caussam inde captarent, qui ex adverso sunt, nedum ad vituperandum ministerium nostrum, sed ad notam dedecoris ipsi etiam catholicae professioni audacius inurendam.

Verum longe laetiora praestolari nos jubent, quae de Centumcellensi Seminario perlata ad nos sunt. Monumentum est ipsum insigne im-

pensissimae in Ecclesiam istam voluntatis, qua Praecessor Noster paterno vos affectu complexus est: seminavit is quidem in sollicitudinibus, quae nos metemus in exultatione, si divina Providentia, quae in sui dispositione non fallitur, nostris adsit votis propitia, ut incoeptum ab illo opus perficiamus, nostrum et nos cor posituri, ubi ipse thesaurum suum collocarat. At conceptam de isto Clericali Tyrocinio expectationem sustineant, ac tueri contendant, qui ibidem aluntur, Alumni, docilesque ad praestitutam sibi normam, patientes in laboribus, doctrinarum percupidi, splendeant ita innocentia morum, candore vitae, studio religionis, ut in ecclesiasticae atque spiritualis disciplinae exercitationibus proficere ipsos, moresque ad pietatis officia, et rationem apprime conformare, ac litteris et studiis optimis eruditos atque excultos progredi, Grex universus laetetur, qui probos inde et industrios sibi praesides pollicetur.

Grave quidem est Nobis, Dioecesim carere Hortis illis conclusis, e quibus Chori Virginum *bellatricum Dei* loquuntur ad Sponsum, et paucas in ea recenseri domos Coenobitarum. Haud mul-

tis proinde eos adloquimur, id unum urgentes, ut Conditorum leges animo revolvant adsidue, iisque fidelissime insistant, solliciti perseverare, et abundare magis in his, quae coeperunt, aucturi in dies incrementa frugum justitiae. Fiet hoc pacto, ut dignoscentes, quae ipsorum vivendi ratio sit, quae institutio, quae gravitas, quae abstinentia, afficiantur pudore (si in summa audacissimaque nequitia fieri possit) obtrectatores perversi, qui in eos pugnaciter invehuntur, eosque reipublicae exitiosos vel saltem inutiles suis e sedibus pellendos inclamant.

Haec ad Personas Deo sacras: ad vos nunc sermonem convertimus, Decuriones, Cives omnis Ordinis, Filii carissimi. *Ea sola intentione viventes*, dicimus cum Augustino, *ut omnes simul vivamus*, id unum contendamus unanimes pro sua cujusque conditione, ut nostris in Dioecesibus haec omnes cogitent, haec agant, quae vera, quae pudica, quae justa, quae sancta, quae amabilia, quae virtus, lausque sint disciplinae. Fides hoc pacto, sine qua nihil sanctum, nihil vivum est, immota stabit inter vos: circumvolant ubique, veluti e puteo abyssi locu-

stae, hostes catholicae fidei infensissimi, qui libertate immoderata opinionum, licentia loquendi, rerum novandarum cupiditate, librorum pestilentissimorum exundatione, lenociniis omnis generis, mittunt in Mulierem amictam sole aquam tamquam flumen, ut eam trahi faciant a flumine. Urbes, pagos, oppidula, regiones quaslibet peragrant filii Belial, ut abducant incautos in vias erroris. Adeste animis, Filii: et Cathedrae Petri sociati retundite tela inimicorum, levantes oculos in Montem, e quo emissiones Paradisus. Sit proinde charitas robur fidei; sit fides fortitudo charitatis: qui manet enim in charitate, is manet in Deo, et Deus in eo.

Cultus festorum dierum foveatur, vindicetur: nec inter vos collugendum sit, in epulas, ludorumque celebritatem, in lascivientem licentiam, inconditasque laetitias eos dies impendi, quos divinis officiis obeundis, propitiandoque Deo, et Coelitibus colendis adsignavit Ecclesia. Diligatur Templorum decor, in quibus tabernaculum est Dei cum hominibus; meminerint Populi, ultionem Domini ultionem Templi sui irruere in eos, quorum culpa despiciatur, violetur, habeaturque contem-

ptui locus ille, quem *terribilem* nominarunt Scripturae.

Haec filiis tradenda, haec animis ipsorum inserenda, haec patria auctoritate districte praecipienda, nec si quid ipsi perperam moliti sint, benigne tolerandi: germina succrescentium spinarum, ac zizania frumento immixta evellenda statim radicitus, praefocanda, comburenda. Libri propterea, quibus infesta religioni ac moribus ingeruntur documenta, excutiantur ex eorum manibus: non desides, non otiosi, non scurrilibus distenti, non improborum amicitiis implicati, versari sinantur circa puteum abyssi. Horreant Parentes alligare se scelere teterrimae in rem sacram civilemque illatae perniciei, si suo tanta in re muneri defuerint: omnia quippe sita esse animadvertant in sua diligentia, fide, dexteritate, contentione, disciplina.

Cunctos praeterea etiam atque etiam hortamur, ne quid inhonestum, atque a recti ac justi legibus absonum, ex illiberali quaestu, ac iniquiore foenore patretur in re qualibet contrahenda, vendenda, emenda, locanda. Detestatur enim Christianae sanctitas disciplinae fraudes quas-

libet inter eos libere grassantes, qui mutua inter se charitate agere continerique jubentur. Quo fit, ut maximas quandoque fortunas eversas conspiciamus, quae hac nefariae rapinae licentia fuerant acquisitae.

Hic porro illacrymantes, et quam maxima possumus animi contentione, Fratres, et Filii, vos monemus, rogamus, obtestamur, ut cum horrendum blasphemantium vitium longe lateque percrebescere doleamus, conjunctis viribus in impiissimae procacitatis facinus dimicemus, illudque connitamur qua prece, qua monitis, qua correptione profligare. Vindicabimus hoc pacto injurias, quae sacrilego, incesto, impurissimoque ore in Deum, et Coelites a filiis iniquitatis incredibili perfidiae prodigio evomuntur: illudque nobis continget praemii, ut et divina avertantur flagella, et quae diligentibus Nomen suum promisit Deus, laeti assequamur.

Finem hic facimus epistolae huic nostrae. Convocato coetu, congregato Populo preces, votaque extollamus supplices ad Auctorem consummatoremque Fidei nostrae Jesum, ut imperet tandem ventis, faciatque tranquillitatem, mode-

rante divinitus Naviculam Petri Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Pontifice. Det Dominus tanto Principi, ut colligat Populos Israel, ut suffulciat domum, ut corroboret Templum. Declinet Deus in Patrem, ac Dominum amantissimum fluvium benedictionum, ut sedeant sub ejus umbra Populi in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, in requie opulenta.

Nostras has preces ad Thronum gratiae deferat volens propitia Sanctissima Virgo Dei Genetrix Maria, cujus animam doloris gladius pertransivit. Ponamus, Charissimi, in Ea refugium nostrum: firmissimum illud erit, nec flagellum appropinquabit tabernaculo nostro, si et Pastorem et Gregem Ipsa doceat, regat, tueatur Patrona, Domina, et Dux, per quam a Christo gratia nobis est, salus, consolatio, et vita. Oret multum pro Populo suo amator ille Fratrum Hyppolitus, qui primus Portuensem Ecclesiam moderatus est, suoque sanguine irrigavit. Adsit communibus hisce votis Lucia Virgo, cujus nomine Portuensis Cathedralis Ecclesia dedicata est. Sospes salutaris accedat cum Virgine invicta Firmina, quae Centumcellensium custos, et pa-

trona est, FRANCISCUS Pater, positus in prodigium Angelis et hominibus, cui sacra est Aedes princeps, tantisque Deprecatoribus fausta cuncta et prospera nobis obveniant. Coelites demum omnes interpellent pro nobis ad Dominum JESUM CHRISTUM, cui vos in Corde Ipsius sanctissimo paterno affectu commendamus, ut pax, sanctitas, gaudium cunctis nobis accrescat, nos Ipso benedicente in omni benedictione spirituali in coelestibus, ut simus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.

Quae dum firma spe a Deo supplices postulamus, Pastoralem Vobis omnibus Benedictionem impertimur.

Datum Romae VI. idus Decembres die sacra Immaculatae Virginis Conceptioni Anno MDCCCXXXIX.



IMPRIMATUR - F. Dom. Buttaoni S. P. A. M.
IMPRIMATUR - A. Piatti Patr. Antioch. Vicesg.